

Umschreibung

Ee, 4



HILARIA HOFFMANNIANA
CVM
VIR
MAGNIFICVS AC PERILLVSTRIS
D. FRIDERICVS
HOFFMANNVS

S. R. M. PORVSS. CONSILIARIVS INTIMVS ET ARCHIATER
COMES PALATINVS CAESAREVS SOCIETATVM IMPERIALIVM
NATVRAE CVRIOSORVM AC PETROPOLITANAE VT ET
REGIARVM BRITANNICAE AC PORVSSICAE

SODALIS
FRIDERICIANAE
SENIOR VENERABILIS
ARTISQVE SALVTARIS DOCTOR PRIMARIVS
CIRCA AVSPICIVM MENSIS MARTII ANNI dno 1800
NATALEM DIEM IVXTA AC ONOMASTICVM LXXXVIII

CELEBRARET
PIA MENTIS VENERATIONE VOTIVS ACCLAMATIONIBVS
COHONESTAT

HOFFMANNIANI NOMINIS
CVLTOR PERPETVVS

M. IVSTVS ISRAEL BEYERVS
ORD. PHILOS. ADI.

HALAE MAGDEBVRGICAE
Typis IO. CHRIST. HILLIGERI Academ. Typ.



HORATIVS

Carminum Lib. IV. Od. XI.

Iure solemnis mihi, sanctiorque
 Paene natali proprio: quod ex hac
 Luce Maecenas meus affluentes
 Ordinat annos

VIR
 MAGNIFICE AC PERILLVSTRIS
 MAECENAS AETATEM DEVENERANDE



Er totius anni dimensum nulla temporis perio-
 dus sanctior mihi cariorque esse solet praesente.
 Causa huius pietatis non vna, sed multiplex, sub-
 est. Qui enim mihi ipsi onomasticus pariter ac
 genethliacus est: hos, inquam, dies meos hoc
 tempore, diuina benignitate sic indulgente, gra-
 to in vitae meae auctorem animo celebrare consueui. Maior
 adhuc infimul laetitiae gradus mihi progignitur exinde, quod
 circa idem fere tempus, HOFFMANNI mei dies natalitius
 & nominalis coincidunt. Sic quadruplex, vt ita dicam, enasci-
 tur mihi laetandi occasio. Nemo igitur, vti ego quidem autumo,
 piam eorum solemnium dierum celebrationem mihi vitio verteret

Satis antiquus, teste FABRICIO ^{a)} mos est, natalem diem so-
 lemni ritu obire. Valde tamen, eodem iudice, dubium est, quod
 BOVLDVCCIUS, homo mire credulus, vel potius mire credu-
 los requirens lectores ^{b)}, tanquam rem exploratam tradit, primos
 homines, quotannis natalem suum celebrasse. Nullum enim an-
 tiquius mihi adhuc innotuit festiuitatis eiusdem vestigium, quam
 quod sacrarum litterarum monumenta ^{c)} de PHARAONE, *Aegy-
 ptiorum* rege, IOSEPHO patriarchae aequali, produnt

Ast nec pagellarum praesentium angustia, nec temporis ra-
 tio, negotiorum mole impedito mihi, in *origines* dictae festiuita-
 tis inquirere finit ulterius. Eadem impedimenta obsunt, quo
 minus quidquam de *caussis* huius celebrationis proferam, quarum

AMOR

^{a)} in *Bibliogr. Antiquaria* p. m. 608

^{b)} de *ecclesia ante legem* cap. 5 lib. I

^{c)} *Gen XL 20* ad quem locum conferri meretur *WENDEL'S* *Wachstum im Christenth.* p. 634. seq. Gleich wie hier das aller erste mahl in H. Schrift eines Geburths-Tages, der celebrirt worden, gedacht wird: also wird auch das erste Exempel angeführet, das an einem Mißethäter durch die Leibes-Estraff ist von der Obrigkeit statuiret worden. Daraus wir merken, daß dieses beydes vor vhralter Zeit im schwange gegangen und, wie bey denen Egyptiern, also auch unter allen Völkern, üblich und gebräuchlich gewesen und dahero noch heute zu Tage löblich und billich. Wenn nur die Christen darauf sehen, wie sie bey diesen Dingen in ihren Schranken bleiben und, weder bey denen Geburths-Tagen der Uppigkeit, noch, bey Ausübung der Gerechtigkeit, der Unbarmherzigkeit und Rache den Zügel lassen mögen

umor sui princeps procul dubio poterit nominari. Sic itidem silentii spatio inuoluerē cogor varios natalium celebrandi apud gentes moratiorēs modos d). Sufficiat, caput instituti huius, tribus saltem, vti dicere solemus, verbis, indicasse; piam diei natalitii celebrationem consistere potissimum in eo, si vitæ nostræ vestigia, cum debita ad summum directa gratiarum actione, retrouersus legamus

Lucius Annaeus SENECA, philosophorum Stoicorum insignne decus, eum in finem examen conscientiae quotidianum commendat. Verba ipsius relata referam e) bona fide:

Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc SEXTIVS, vt, consumato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira & erit moderatior, quae sciet, sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quam tranquillius, altus ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus & speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis? vtor hac potestate & quotidie apud me causam dico: cum sublatum e conspectu lumen est, & conticuit vxor, moris iam mei conscia, totum diem meum scrutor, facta ac dicta remeior. Nihil mihi ipse abscondo, mihi transeo. Quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere: vide ne ipsud amplius facias, nunc tibi ignoscam

Ecquis non miretur effata haec vtiq; ponderosissima pagani a coetu fidelium, vti credimus, admodum remoti? Ecquis nisi impos animi, negabit, homines esse artefacta summi artificis; aeternum, omnipotentem ac clementissimum huius vniuersi conditorem nostrum esse creditorem; nos eiusdem debitores, cui vitam, sanitatem, famam, opes & id genus alia nobis ad tempus tantummodo concredita debemus

Nati sumus non nobis; sed, nostri ortum, nostrates, patria, princeps, Deus, sibi vindicant. His quotidie rationes sunt reddendae; maxime autem Summo Numini. Et si sola ratio sana id pietatis genus a nobis exposcat singulis diebus: multo magis hoc officium transacto quolibet vitæ anno exhibere cogimur homines christiani

O bone Deus! nullus tam infelici fidere natus existit homo, qui non ex pluribus euadat calamitatibus, maioribusque ornetur beneficiis a clementissimo creatore suo. Quot artus, quot articuli fragile corpus humanum in se continent, tot & forte plures morbi ac mala ei singulis momentis imminēt. Imbecillitas mentis humanæ, ignorantia obnubilatur, ne possit cernere verum;

peac-

d) Scriptores de nataliis magno apparatu collegit FABRICIVS l. c. p. 607. seqq. quibus haud immerito adiungi potest V. CL. IO. FRID. STIEBRITZ epistola de Deo Medico &c. in qua pauca quidem & quasi in transitu, at egregia, de hoc argumento in medium attulit

e) *Lib. III. cap. 36. de ira*

praeiudiciis & affectibus in transuersum rapitur, vt quidem videar meliora probetque, deteriora tamen sequatur. Ad quaeuisigitur mala perpetranda proniores, ad eaque perpetiendae digniores sunt homines, quam ad bona peragenda, fructusque iucundissimos exinde percipiendos

Haec dum alius paullo mecum reputo, non possum, quin palam profitear, cognitionem sui ipsius *primum* in celebrandis natalibus esse negotium; *alterum* culpa pro neglectis officiis & admisis iniquitatibus deprecanda a coelesti patre; *tertium* seria vitae emendandae pollicitatio; *ultimum* denique grates laudesque Summo Numini decernendae, tum pro malis quae feliciter euasimus, tum pro bonis, quibus diuina clementia praeter meritum ac dignitatem nostram nos affecit

Abolutis hac ratione sacris natalitiis, nullum restat dubium, quin tranquillores iuxta ac multo lactiores ab iisdem recedere & fausto omine nouum vitae circulum inchoare queamus

Et haec sunt, quae, propter temporis penuriam, summam tantum in praesentiarum adumbrari potuerunt. Plura, PATRONE MAXIME COLENDE, pietas in TE mea, sub noui vitae TVAE anni auspiciis, a me exigit, grates videlicet ac votiuas acclamationes; has pro incolumitate gentis HOFFMANNIANAE, illas pro eximio fauore TVO mihi maxime proficuo. Vix etenim TIBI meum quale cunque nomen innotuerat, cum humanitas TVA prorsus singularis vitam meam, satis antea aerumnosam, statim redderet iucundioram

Gratias proinde TIBI persoluo, non quas debeo, sed quas modo cunque virium mearum exhibere valet tenuitas, pro eximia, qua merito laudaris, beneuolentia TVA, quam praeter omnem dignitatem ac expectationem meam largiter huc vsque sum expertus. Summum, quod veneramur, Numen foenore largissimo rependat TIBI quaelibet fauoris specimina, quibus haud indignum me iudicasti. Seruet TE Deus Ter Optimus Maximus, Maecenatem mihi indulgentissimum, Promotorem studiorum meorum benignissimum; non modo per huius anni dimensum, sed & ad Nestoris vsque annos, saluum ac incolumem atque ex omni parte beatum. Omnes boni mecum coninunt vno veluti ore: viuat semperque vigeat HOFFMANNVS, Deo charus, Regi acceptus, Fridericianae Senior venerabilis, Medicorum fere doctor communis orbisque litterarii decus splendidissimum, familiae ac gentis Suae solamen insigne, viduarum orphanorumque immo egenorum quorumcunque praesidium. Valeas ac porto, quod iubuisse rogo, faueas

MAGNIFICI AC PERILLVSTRIS NOMINIS TVI

Scrib. in ipso natalitiis Hoffmannianis d. III,
Martii A. R. S. MDCCXXXVII,

perpetuo cultori
I. I. BEYERO

Ua 933^a
I. 4^o

ULB Halle 3
003 591 591



HILARIA HOFFMANNIANA

CVM

VIR

MAGNIFICVS AC PERILLVSTRIS

DERICVS
MANNVS

LIARIVS INTIMVS ET ARCHIATER
ESAREVS SOCIETATVM IMPERIALIVM
VM AC PETROPOLITANAE VT ET
FANNICAE AC PORVSSICAE
SODALIS

DERICIANAE

R VENERABILIS

TARIS DOCTOR PRIMARIVS

SIS MARTII ANNI clō Is cc xxxvii

TA AC ONOMASTICVM LXXVIII

CELEBRARET

ONE VOTIVIS ACCLAMATIONIBVS

COHONESTAT

NNIANI NOMINIS

LTOR PERPETVVS

S ISRAEL BEYERVS

D. PHILOS. ADI.

MAGDEBVRGICAE

G. HILLIGERI Academ. Typ.

